

Josef Češka

Brno

QUAE VALETUDINI HUMANAЕ UTILIA QUAEQUE  
NOXIA AMMIANUS MARCELLINUS XXVII 4,14  
IUDICAVERIT

A temporibus antiquissimis usque ad diem hodiernum nonnullos quaestio sollicitat, cur pauci tantum ad senectutem grandaevam perveniant, nec non rationes considerantur, quae valetudini hominis optime prodesse aut maxime obesse possint. Quid ergo mirum, si etiam Ammiano Marcellino aliquid huius modi succurebat, cum sexagenarius iam<sup>1</sup> provinciam Thraciam describeret. Sed ipsi rerum scriptori loqui permittamus, qui *constat autem* inquit (XXVII 4, 14), *ut vulgare rumores adsidui, omnes paene agrestes, qui per regiones praedictas montium circumcolunt altitudines, salubritate virium et praerogativa quadam vitae longius propagandae nos anteire, idque inde contingere arbitrantur, quod conluuione ciborum abstinent calidis, et perenni viriditate roris asperginibus gelidis corpora constringente, aerae purioris dulcedine potiuntur, radiosque solis suapte natura vitales primi omnium sentiunt, nullis adhuc maculis rerum humanarum infectos.*

Nihil igitur novi Sebastianus Kneipp saeculo XIX instituit, cum homines pedibus nudis primo mane per prata rorata ambulare doceret, si tempore etiam tum antiquo notum fuit matutinos solis radios et frigidi roris aspergines valetudini maxime conducere eorum, qui saepe sub divo versantur aëremque purissimum spiritu ad pulmones suos ducunt, nullis rerum humanarum maculis infectum.

Quem ad modum nostra aetas industriae modernae atque vehiculorum motoriorum exhalationibus perniciosis in aëre dispersis vexetur, satis constat omnibus, qui in urbibus fabricarum plenis vel prope vias automobilibus redundantes domicilia habent. Sed paene incredibile id nobis videtur, quod homines iam tunc, cum excepto pulvere fumus tantum salutiferam caeli serenitatem interdum inquinabat, de gazeis humanae vitae actuosae excrementis querebantur. Nam sic tantum maculae rerum humanarum intellegi possunt, quibus solis radii in regionibus incolis frequentibus prisco iam aevo infecti esse solebant, ut Ammianus Marcellinus — praeceptorum Hippocraticorum videlicet gnarus<sup>2</sup> — testatur.

Praeter aërem impurum parvam quoque diaetae curam idem auctor valetudini noxiam putabat, si in colluvione ciborum causam mortis praematurae reperiebat, ut una saltem inter alias opiniones de Ioviani Augusti exitu repentino documentum nobis dat. Ferebatur enim — Ammiano itidem teste (XXV 10, 13) — Iovianus *recenti calce cubiculi inliti ferre odorem noxium nequivisse, vel extuberato capite*

<sup>1</sup> Ammianus Marcellinus inter annos 330—335 natus libros operis sui XXVI—XXVIII anni<sup>s</sup> 393—395 scripsisse videtur; cf. editionis Francogallicae (Ammien Marcellin, Histoire, tome I; texte établi et traduit par E. Galletier avec la collaboration de J. Fontaine, Paris 1968) praefationem a Galletiero scriptam, p. 7 et 19.

*perisse succensione prunarum inmensa, aut certe ex conluuione ciborum auida cruditate distentus.*

Sed quale alimentum calidum per se solum aut cum aliis mixtum Marcellinus noster hominibus insalubre arbitrari potuerit, quaestio restat, si verbis eius *quod conluuione ciborum abstinent calidis* recte interpretandis opera datur. In hac codicis olim Fuldensis, nunc Vaticani Lat. 1873, lectione verborum ordinem integrum permanere S. Blomgren<sup>3</sup> credebat, constructionem ad sensum in vocabulis *conluuione ciborum... calidis* esse suspicans, quamquam de loco, quo Gelenius lacunam ante *calidis* indicaverat, re vera diiudicare, an corruptum esset necne, vix audebat. Sed W. Seyfarth<sup>4</sup> nulla iam interposita dubitatione Wagnerum<sup>5</sup> sibi imitandum proponens lectionem codicis V tanquam certam edere non haesitavit; habebat enim persuasum lacunam a Gelenio non in codice Hersfeldensi, e quo et codex Fuldensis (V) descriptus fuerat, sed in phantasia ipsius velut remedium anacoluthi cuiusdam inventam esse.

Eyssenhardt et Gardthausen et Clark in Ammiani Marcellini editionibus<sup>6</sup> Gelenio assensi sunt, aliquid post *abstinent* intercidisse credentes, sed cum Eyssenhardt *abstinent* <et> *calidis* edidisset (cf. Rolfei editionem: *abstinent calidis*<que>), Gardthausen et Clark viam cautiorem elegerunt lacuna tantummodo expuncta contenti. Clark in additamentis suis<sup>8</sup> quaestionem sibi editoribusque posteris posuit, legendumne esset *abstinent cal*<idi> *set*, attamen Seyfarth hanc coniecturam non solum spreuit, sed etiam mutilauit, si eam in apparatu suo critico<sup>9</sup> mendose *calidi set*? *Cl.* imprimi passus est. Spreuit autem pleno iure, nam contextus, qui coniunctionem copulativam et postulat, cum coniunctione aduersativa *sed* obscurior fieret, et iuste puto egit, si lectionem codicis V defendens Brakmani emendationem <*indumentisque*> *calidis* contempsit, quae multum a veri similitudine discrepare mihi quoque videtur.

Num autem credi potest Ammianum cibos calidos homini insalubres putavisse? Epulas Romanorum divitum (XXVII 3, 14) *profusas, adeo ut eorum conuiuia regales superent mensas*, nec non ciborum cuppedias (cf. XXV 2, 2) seu cenarum delicias exquisitas (cf. XXX 4, 14), inter quas volucres externae et pisces pretiosi gumiis insatiabilibus apponebantur gliresque permagni (cf. XXVIII 4, 13), nedum fasianus, vulva sumenve in convivio quodam sumptuoso deessent (cf. XVI 5, 3), certe fastidiebat auctor noster Constantiumque immo vero laudabat imperatorem, qui poma numquam gustare voluisset (XXI 16, 7), neque Valentinianum de excultis, sed non profusis epulis obiurgabat (XXX 9, 4); summis autem laudibus Iulianum

<sup>2</sup> Saepe in agro versari, frequentius se exercere, interdum aquis frigidis uti nullumque genus cibi fugere, quo populus utatur, homini prodesse sano Celsus (de medic. I 1) quoque similiter ac Hippocrates docebat.

<sup>3</sup> S. Blomgren, De sermone Ammiani Marcellini quaestiones variae: Uppsala Universitets Årsskrift 1937, 6, p. 51, adn. 2.

<sup>4</sup> Ammianus Marcellinus, Römische Geschichte. Lateinisch und deutsch und mit einem Kommentar versehen von W. Seyfarth. Vierter Teil, Berlin 1971.

<sup>5</sup> Ammiani Marcellini quae supersunt. Cum notis integris Frid. Lindenbrogii, Henr. et Hadr. Valesiorum et Iac. Gronovii, quibus Thom. Reinesii quosdam et suas adiecit Io. Augustin. Wagner. Editionem absoluit C. G. A. Erfurdt. Lipsiae et Londini 1808. — Notas ad paragraphum XXVII 4,14 pertinentes in tomo III p. 184 invenies.

<sup>6</sup> Ediderunt autem Ammiani Marcellini Rerum gestarum libros, qui supersunt, Fr. Eyssenhardt Berolini a. 1871, V. Gardthausen Lipsiae a. 1874—1875, C. U. Clark adiuvantibus L. Traube et Guil. Heraeo Berolini a. 1910—1915.

<sup>7</sup> Ammianus Marcellinus with an English Translation by John C. Rolfe in Three Volumes, London-Cambridge, Massachusetts. First Printed 1935—1939, Revised and Reprinted 1950—1952. 1956—1958; vide vol. III (a. 1958, p. 28).

<sup>8</sup> Editionis Clarkii vol. II p. VIII.

<sup>9</sup> Editionis Seyfarthii vol. IV p. 64.

efferebat, cui *pultis portio parabatur exigua, etiam munifici fastidienda gregario* (XXV 2, 2). Atqui haec pultis portio vilis, cum consumeretur, vix frigida esse potuit. Uno quidem loco Ammianus carnem sane indignatus est calentem, quam Romae nonnulli e plebe indigena avidissime spectare solebant, sed rem potius aestheticam quam hygienicam respiciebat, ut paragraphus docet tota citanda (XXVIII 4, 34): *In his (scil. plebeis urbanis) plerique distentioribus saginis addicti, praeuente nidoris indagine, acutisque uocibus feminarum, a galliciniis ipsis in modum pauorum reuinitate clangentium, humum summis pedum unguibus contingentes, aulis adsistunt, digitos praerodentes, dum patinae deferuescent; alii nauseam horridae carnis, dum excoquetur, intentius despectantes, ut discissarum pecudum exta rimari cum anatomicis Democritum putes docentem, quibus modis posteritas mederi doloribus possit internis.*

Nimiae videlicet edacitatis ligurritionisque nec non ebriositatis Marcellinum nostrum taeduit, ut duo insuper testantur documenta ad disciplinam militarem interdum solutam pertinentia. Nam cum Aquileia anno 361 Constantio Augusto etiamtum favens a legionibus, quae Iuliani imperio obtemperabant, frustra oppugnaretur, (XXI 12, 15) *praesidiarii milites uastantes agros propinquos, omnibus congruentibus abundabant, raptorum pleraque concorporalibus suis inpertientes, unde largiore admodum potu saginisque distenti marcebant.* Et cum postea Iulianus Antiochiae totus haruspinae et auguriis addictus victimas innumerabiles caederet, adeo peruentum est (XXII 12, 6), *ut in dies paene singulos milites carnis distentiore sagina, uictitantes incultius, potusque auuiditate corrupti, umeris inpositi transeuntium, per plateas ex publicis aedibus, ubi uindicandis potius quam cedendis conuiuuiis indulgebant, ad sua diuersoria portarentur.*

Favebat enim auctor noster non solum deorum etiamtum cultoribus continenter viventibus, sed etiam quibusdam antistitibus christianis adhuc modestis (XXVII 3, 15), quos *tenuitas edendi potandique parcissime, uilitas etiam indumentorum et supercilia humum spectantia perpetuo numini uerisque eius cultoribus ut puros commendant et uerecundos.* Sed qualia alimenta calida tamquam insalubria despexerit, comperire nequimus frustra fere quaeremus, nisi forte Ammiani mentiones de aqua calida ad uino miscendum parata reminiscemur, nam hunc morem senibus olim commendatum<sup>10</sup> et aegrotis,<sup>11</sup> mox autem multis quoque Romanis effeminatis acceptum,<sup>12</sup> prauum Ammianus putauisse videtur, si Ampelium, urbi praefectum,<sup>13</sup>

<sup>10</sup> Philo de vita contempl. 73: *εἰς τοῦτο τὸ συμπόσιον ... οἶνος ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διανγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτέρων τοῖς ἀβροδιατροῖς.*

<sup>11</sup> Martial. VI 86: *Setinum dominaeque nives densique trientes, Quando ego vos medico non prohibente bibam? Stultus et ingratus nec tanto munere dignus, Qui mauult heres diuitis esse Midae. Possideat Libycas messes Hermumque Tagumque, Et potet caldam, qui mihi liuet, aquam.* Seneca, epist. ad Luc. 78, 25: *sed omnia ista facile perferemus, sorbitionem, aquam calidam et quicquid aliud intolerabile videtur et luxu fluentibus magisque animo quam corpore morbidis.* Cf. Cels. de medic. IV 12 (i. e. de stomachi morbis): *Potus quidem aptissimum est uinum frigidum, vel certe bene calidum, meracum, potissimum rheticum, vel allobrogicum, aliudve, quod et austerum et resina conditum sit* (ed. C. Daremberg Lipsiae 1859, p. 137, lin. 12—15).

<sup>12</sup> Petron. 65,7: *ille autem iam ebrius uxoris suae umeris imposuerat manus, oneratusque aliquot coronis et unguento per frontem in oculos fluente praetorio loco se posuit continuoque uinum et caldam poposcit.* Apul. Met. II 16: *adripit poculum ac desuper aqua calida iniecta porrigit bibam.* — Cf. J. Marquardt, *Das Privatleben der Römer* (Zweite Auflage besorgt von A. Mau), Leipzig 1886, I, p. 332 sq.: „Da es auf starkes Trinken abgesehen war, so mischte man, wie dies im ganzen Alterthum gewöhnlich ist, den Wein mit Wasser, und zwar in der Regel mit warmem (calida), was der Gesundheit zuträglicher erachtet und alten Leuten so wie Kranken immer empfohlen wurde.“

<sup>13</sup> Annis 370—372 (cf. A. Chastagnol, *La préfecture urbaine à Rome sous le Bas-Empire*, Paris 1960, p. VIII et 431).

laudat, qui statuit (XXVIII 4, 4), *ne taberna uinaria ante horam quartam aperiretur, neque aquam uulgarium calefaceret quisquam*, atque si paulo post (XXVIII 4, 16) dominos propter nimiam in ministros severitatem vituperat, qui delicta levissima crudeliter puniebant, talia immo vero, *si aquam calidam tardius attulerit seruus*.

Itaque Ammianus Marcellinus aut varios cibos calidos permixte consumptos aspernabatur, quamlibet ciborum colluvionem vitae periculosam ratus, aut vinum aqua calida temperatum, nec non alias fortasse potiones calidas a diaeta ad corpus durandum utili abhorrere, nisi fallor, arbitrabatur, quam ob rem — si copia divinandi detur — lacunam in paragrapho XXVII 4, 14 a Gelenio indicatam sic supplere audeam: *quod conluuione ciborum abstinent <atque potibus> calidis*.

Scio equidem me errare posse, quia argumenta graviora mihi desunt, neque id silentio praeteriturus sum, quod initio de coniectura mea, sane dubia, pluribus verbis scribere nolui.<sup>14</sup> Sed Ammianus mentione sua, de qua iudicari potest urbium incolas aëre puro iam XVI pluribusve saeculis ante nonnumquam caruisse, postremo ipse nos caelum supra sedes rusticas ac urbanas aequè perlucidum exoptantes incitavit, ut paragraphum totam pertractaremus et Ammiani ipsius de recta longamque vitam firmante diaeta opiniones investigare conaremur.

<sup>14</sup> Cf. J. Češka, Ad Ammiani Marcellini libros XXII—XXXI a W. Seyfarth novissime editos adnotationes criticae, Eirene XII, 1974, p. 110.